

non admittat, in casu sæpius iteratorum Sacrilegiorum, furem trahæ impositum ad locum supplicii raptari, aut etiam candentibus forcipibus aduri debere, quod Jus Saxonicum tale quid non disponat: eatenus tamen pœnam exasperari putat, ut priusquam cor Sacrilegii rotâ contundatur, ejus crura & brachia frangantur. Alibi tamen plerique laqueo puniuntur Sacrilegî, vide Reufner. *lib. 1. Decis. 16. num. 17. 18. fol. 76.* Et Theodor. *c. 9. Aphor. 4. num. 18. 19. p. 1204. 1205. Criminal.* quamvis Nobiles ob commissum Sacrilegium non laqueo, sed gladio puniri soleant. Tiracu. *de Nobil. c. 20. num. 110.* Jul. Clar. *l. 5. §. fin. quest. 60. n. 24.* Berlich. *part. 5. Concl. 44. n. 33.* Quamvis tamen & Sacrilegis pro ratione circumstantiarum tactum aggravantium pœna rotæ irrogari soleat. Vide Theod. *d. kp. 1206. Crim.*

ARTIC. CLXXIII.

Eleemosynarum sacrilegium.

Straff derer / so Almosen stehlen.

Stem so einer ein Stock / darinn man das heilige Almosen sammlet auffbricht / sperret oder wie er arglistiglich daraus stilt / oder solches mit etlichen Wercken zu thun unterstehet / der ist auch am Leib / oder Leben zu straffen / nach Rath der Rechtsverständigen.

AD ARTIC. CLXXIII.

ARGUMENTUM.

Fur, qui effringit cistam, in qua collectæ pauperum Eleemosynæ servantur, & quidem animo furandi, vel, quibusdam adhibitis instrumentis facere conatur, is itidem vel corporali, vel etiam capitali pœna juxta consilium Jurisperitorum puniendus est.

EXEGESIS.

Nomine *Eleemosynæ* nihil aliud intelligimus, quam stipem in usum & sustentationem pauperum misericordiæ causa datam & collectam. Quamvis etiam alii pecuniam in conservationem templi, aut reedificationem istius quæsitam isto nomine intelligi quoque velint.